

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0811

0809

0815

0805

0820

0800

0860

0760

0910

0710

0310

Ende

Anfang

238

et Deus totius consolationis, qui in hac sanctissima nocte templum tuum, quod est in Jerusalem, coelesti igne illustras ad tuorum fidelium consolationem, ad barbarorum conversiōnem, ad tuae misericordiae ostensionem, illustra, quaeso, Domine, lucernam meam, et tenebrosum domicilium cellae meae illumina etc. Quumque diutius orasset, cum magna spe accessit levans operculum, sed lampadem accensam non inventit. Et rursum ad orationem lachrimosam se contulit, nec ignem reperit. Tertia autem vice cum orasset, accessit et disiecto operculo lampadem clare ardere vidit, accensum eodem decoro igne, quo lampades in templo dominici sepulchri accendi solebant in Jerusalem.

Porro anno Domini CCCXXIII. mortuo Maximio episcopo Jerosolymorum, Ariani ecclesiam Dei per orbem infestare coeperunt, et ingressi Jerosolymam templum dominici sepulchri in suam potentiam traxerunt, Conradum episcopum Jerosolymorum catholice et rite ordinatum degradarunt, cumque archidiaconum constituerent sicque statum ecclesiae Romanae ibi mutarent, pluribus annis sanctam illam Golgatanam ecclesiam rexerunt, eam sua perfidia inficiētes. Illis autem temporibus, quibus Ariani haeretici templum sancti sepulchri possederunt, celebrata fuit Synodus Nicaena. Post quam Constantinus venit Jerosolymam et in tantum auditum praecebuit Arianis, ut persuasus ab eis descenderet ad Jordānem et iterato baptisma reciperet ab Arianis, ac si baptismus S. Sylvesti inefficax esset. Hoc reperitur scriptum de Constantino. Sed ego omnino credo esse confictum ab Arianis, ut partem suam tanti imperatoris infamia solidarent. Et potuit esse, ut descenderet cum clero et populo ad Jordānem et propter devotionem lavaretur in eo, sicut semper faciunt peregrini, et ex hoc acceperunt Ariani occasionem dicendi, imperatorem esse rebaptizatum. Quamdiu autem Ariani illam ecclesiam rexerunt, numquam datus est coelestis ignis ad paschalia lumina, sicut sub Catholicis fieri solebat. Hoc etiam certo experimento habetur compertum, quod, quando in romana occidentali ecclesia sunt scissurae et dissensiones, quod semper sepulchrum Domini ablatum est Catholicis, et vel haereticis, vel schismaticis, vel Saracenis traditum.

